

## Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 335

Notum sit tam presenti quam future congregationi quod Herveus, Hodrici filius, de Castelburg, atque Eurardus, frater ipsius, post decessum suae matris, instinctu. Dei et ammonitione Eveni cuiusdem nostri monachi qui tunc temporis ipsam obedientiam tenebat, pro salute animarum sui patris ac matris suorumque et filiorum, necnon ut in presenti omnia prospere sibi succederent, secuti vestigia suorum parentum, sine censu, sine tributo alicuius viventis, dederunt Sancto Salvatore suisque monachis in perpetuum de molendinis de Castelburg, quae sunt sita in fluvio Vicenoniae, et grantruit decimam partem sue partis et foedum Normanni molendarii, unde ipsis unoquoque anno in Nativitate Domini .XII. nummi exiebant, tali modo ut quamdiu ipse prefatus molendinarius ipsos duodecim nummos Sancto Salvatore in Nativitate Domini reddere voluerit, reddat, et foedum habeat; si vero reddere noluerit, foedum Sancto Salvatore, sine alicuius calumpnia, remaneat. Dederunt etiam quoddam pratum quod est situm inter foedum predictae Normanni et publicam viam, et medietatem alterius prati quod est situm ex altera parte ipsius viae quod fuit foedum filiorum Teodoli de Sancto Melanio, eo pacto quod si ipsi filii predicti illius Teodoli medietatem ipsam quesiverint et habere voluerint, ipse Herveus predictus et frater ipsius Evrardus vel medietatem ipsius prati monachis Sancti Salvatoris quietum habere fecerint, vel ad libitum et ad confessionem ipsorum monachorum aliud pro ipsa medietate dederint. Hamon quoque, filius Tetbaldi vicecomitis, cognatus ipsius Hervei predicti, pro salute animarum sui patris ac matris suaeque coniugis et filiorum, necnon pro ipsiusmet sainte, sine tributo, libere, dedit medietatem ipsius medietatis supradicti prati Sancto Salvatore suisque monachis, in elemosina sempiterna, suamque partem de supradictis molendinis. Et hoc quoque sit omnibus notum quod ibi fuit statutum et firmatum ne aliquis filiorum istorum supradictorum, propter aliquam iniuriam ab aliquo abbate vel ab aliquo monacho Sancti Salvatoris sibi illatam, ulterius audeat nec presumat donum sui patris, licet iam defuncti, invadere nec auferre, quod hactenus facere solebant. Hoc actum est anno ab incarnatione Domini .I.LXXX.III., Alano tocius Britanniae ducatum optinente, Silvestro episcopo urbis Redonum existente, Bili Rotonno abbate; et huius rei hii sunt testes: Herveus et Evrardus, frater ipsius, qui hoc donum dederunt, et Gaufridus, filius ipsius Hervei, qui confirmavit, et mater eius Hodierna; Euenus, monachus, qui hoc donum recepit, et Mainus, monachus, testes; Rembaldus, presbyter, testis; Normannus, filius Doda, testis; Moruethenus, filius Enardi, testis; Anshetillus, testis; Normannus, molendinarius, testis; Anserius, testis; Guarinus, testis. Ex parte vero Hamonis hii sunt testes: ipse Haimo et filii eius, qui concesserunt; Hugo dux, dominus eius; qui concessit; Hamelina, uxor ipsius Hamonis, testis; Costardus, frater ipsius, testis; Herveus, filius Hodricii; Karodocus, testis.